# INDEX LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI M. APRILIS AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXVIII

HABEBVNTVR.

1888

J. Vahlen
De Vergilii carmine bucolico VIII

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).
1888.

# VNIVERSITATIS LITTERARIAE

## FRIDERICAE GVILELMAE

# RECTOR ET SENATVS.

Consuetum munus indicendi scholas academicas a disputatione Vergiliana auspicabimur, duplici consilio, primum ut specimina interpretationis philologae ex huius poetae carmine petita, pauca sane nec satis insignia sed non inutilia fortasse iis qui ad haec studia se dare cupiunt, proponamus, deinde si possumus errorem eorum coarguamus si qui sibi persuaserunt in Vergilii libris toties philologorum opera pervolutatis nihil iam esse quod docti interpretis curam requirat, qui nobis nulla re magis indigere quam enarratione ea videtur quae se totam in intimos poetae sensus insinuet et artis itinera ac modos penitus perspiciat ac patefaciat; quod non ita dicimus quasi nos possimus afferre quod ab aliis relictum intelligimus, sed artis interest ne vagetur aut in limine subsistat recte poni metam quae appetenda sit. Sed aggredimur ad rem.

Bucolico carmini octavo Vergilius prooemii loco hos versus praemisit.

Pastorum musam Damonis et Alphesiboei,
immemor herbarum quos est mirata iuvenca
certantes, quorum stupefactae*) carmine lynces

---

*) Vulgo distinguunt sententias et *stupefactae sunt* intelligunt; quod exemplum omissi verbi substantivi Fridericus Leo (Senecae vol. 1, 188) commemorandum duxit. Neque negamus ita verba accipi posse, sed verisimilius videtur (quod mirere a nemine non

et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis musam dicemus et Alphesiboei.
tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi
sive oram Illyrici legis aequoris, — en erit umquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
en erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
a te principium, tibi desinet. accipe iussis
carmina coepta tuis atque hanc sine tempora circum
inter victrices hederam tibi serpere laurus.

Quibus versibus cum carminis argumentum indicat et extollit tum significat cum cui hoc poema inscripserit et acceptum esse velit. Quae res duae unam efficiunt sententiam et eandem propemodum rationem cognoscimus quae est in exordio Georgicon, nisi quod multo prolixior et artificiosius structa est ista oratio; ex qua pauca delibamus tantum ut sententiarum cursus percipiatur.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
hinc canere incipiam. vos, o clarissima mundi
lumina, labentem caelo quae ducitis annum,
Liber et alma Ceres, ...
et vos, agrestum praesentia numina, fauni,
                                        tuque o, cui prima frementem
fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune, ...

---

probari sed ne memorari quidem) poetam unam sententiam formasse in hunc modum *quorum carmine et lynces stupefactae et flumina mutata cursus requierunt*, ut quod commune utriusque partis verbum esse oportuit proprie accommodatum sit ad alteram (*suos requierunt cursus*): quo genere nihil est frequentius apud poetas Romanos, velut in Horatii iambo 15

in verba iurabas mea ...
dum pecori lupus et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare, ...
fore hunc amorem mutuum,

omnis difficultas, quae criticorum ingenia tanto opere vexavit, nascitur ex eo quod non communi verbo et lupum et Oriona complexus dixit velut *dum pecori lupus et nautis infestus Orion obesset* vel *insidiaretur*, sed illum relinquens ad hunc tantum quod referri possit adiecit; et tamen genus quidem idem agnoscitur (ut mittamus alia) in iambo 12, 5

                    sagacius unus odoror,
polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis.

16 ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva
inventrix,
21 dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
24 tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
concilia incertum est, ... Caesar,
40 da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis.

Similiter sed astrictius Ovidius in Fastorum principio

Tempora cum causis Latium digesta per annum
lapsaque sub terras ortaque signa canam.
excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
hoc opus et timidae dirige navis iter,
officioque, levem non aversatus honorem,
huic tibi devoto numine dexter ades.

Ac propius etiam ad nostri carminis prooemium accedunt quae Aetnae poeta initio libelli

Aetna mihi ruptique cavis fornacibus ignes
et quae tam fortes volvant incendia causae,
quod fremat imperium, quid raucos torqueat aestus,
carmen erit. dexter venias mihi, carminis auctor,
seu te Xanthos habet seu Delos gratior illa
seu tibi Dodona potior, tecumque faventes
in nova Pierio properent a fonte sorores
vota: per insolitum Phoebo duce tutius itur.

aut quae Martialis scripsit in quinti libri epigrammate primo

Hoc tibi, Palladiae seu collibus uteris Albae,
Caesar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin,
seu tua veridicae discunt responsa sorores,
plana suburbani qua cubat unda freti,
seu placet Aeneae nutrix, seu filia Solis,
sive salutiferis candidus Anxur aquis,
mittimus, o rerum felix tutela salusque,
sospite quo gratum credimus esse Iovem.
tu tantum accipias, ego te legisse putabo
et tumidus Galla credulitate fruar.

His exemplis non temere a nobis expositis hoc perspicuum esse potest, Vergilii interpretes, qui plerique omnes a verbis *Tu mihi* v. 6 novam partem carminis ineuntem faciunt, cum secernunt quae intime connexa sunt, poetae mentem non esse assecutos: quo facto paene mirum non est, eosdem *mihi* pronominis naturam

ignorasse, ut qui aut haec iungi iubeant *Tu mihi accipe iussis carmina coepta tuis* quae coniungi non posse ultro apparet et postea intelligetur magis, aut pronomen ad *seu superas* referri hariolentur aliisque modis multis ineptiant. Qui quidem exemplis quae diximus veram pronominis causam et rationem discere poterant, si modo umquam isti interpretes Vergiliani poetarum morem et modum cognoscere velle impensius studerent. Possis autem imperfectam orationem vel hoc modo supplere *tu mihi dexter ades* exemplo Ovidiano, vel cum Vergilio ipso *tu mihi adsis favens*; et haec sententia, quae satis significatur verbis quae posita sunt *tu mihi,* quo commodius versus primos qui argumentum indicant excipiat, suavi circuitu a quo versu orsum est carmen *Pastorum musam Damonis et Alphesiboei* ad eum interiecta pastorum laude redit oratio comprehensionemque absolvit: *Damonis musam dicemus et Alphesiboei.* Itaque primi carminis vim his fere verbis reddas "Damonis et Alphesiboei qui Orphei instar carmine 'detinuisse feras et concita flumina sustinuisse' dicuntur, pastorum Damonis et Alphesiboei musam dicemus: tu mihi adsis precor." Qua oratione nihil convenientius huic exordio aut hoc poeta magis dignum esse potuit. Quod ad illa *tu mihi* addit *seu magni superas iam saxa Timavi sive oram Illyrici legis aequoris,* id quoque exemplis supra allatis intelligitur consuetudinis esse poeticae, quae propriam sedem habet ni fallimur in deorum appellationibus, quo intentius ops divina appetatur, et radices suas usque a carminibus Homericis ducit. Sed Vergilius quae loca dicit indicium faciunt, cuius pondus aliis quae postea dicemus augetur, haec eum Pollionis causa scripsisse reducis ex Parthinorum expeditione. Nam quod sunt qui Augustum pro Pollione intelligenti lectori obtrudant, miraremur, si quid mirandum esset in iis, qui cum sibi sumant ut veterum poetas navis adolescentibus explanent, fumum pro luce iis vendere non erubescunt. Et nos admirari, iuvenes, in quibus paulum modo ingenii, tot annos tam inficeta doctrina nutritos, simulac libertatem iudicii nacti sunt, poetas una cum claris interpretibus deferre in vicum vendentem tus et odores. Sed redeundum est in viam. Vergilius igitur, regione ipsa quam memoravit recordationem rerum modo in ea gestarum excitante, destituta quam coeperat oratione in interrogationes abripitur desiderii simul et desperationis testes: *en erit umquam ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta? en erit ut liceat totum mihi ferre per orbem sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?* Quippe cum laude bellica cuius memoria primum movit mentem poetae cognatione rerum invitante alteram eiusdem viri virtutem comparat, identidem, ne de Pollione dubites, ab aequalibus celebratam, quae in arte tragica novo more perpolienda exsplenduit. Sed hanc duplicem encomii tanto viro digni materiam dum volvit animo, cum voluntate hoc genere gratificandi amico diffidentia nascitur num quantum cupiat possit quoque: ea enim vis est huius dicendi consuetudinis, quam Ribbeckius in libello de particulis Latinis (p. 34) declarat, ut is qui ita interrogat *en erit umquam ille dies* se significet vereri ne numquam dies ille quamvis ardenter cupiat

adventurus sit. Quo magis autem poeta se desiderio inferiorem esse sentit, eo studiosius asseverat Pollionem se primum et postremum dicturum nulloque non tempore sive fiat quod optet sive non fiat Pollioni suam musam dicare: *a te principium, tibi desinet.* Cuius dicti usum paene proverbialem multi tetigerunt, quamquam ne id quidem satis intelligenter, illud nemo dixit, quod summum erat, ut poetae consilium appareret, haec sententia quid hoc loco sibi vellet. Quod si recte interpretati sumus, simul illud intelligitur hoc dictum a superioribus interrogationibus divelli non posse descriptionemque carminis quae hoc facere cogat iam eo nomine reiectaneam esse. Ita vero postquam nativo animi motu pulcherrima digressio poetae nata est et aucta, non repetit interceptam orationem — neque enim est haec parenthesis quam nonnulli parenthesin esse volunt, qua exempta reliqua oratio in unum confluat: *Damonis musam dicemus et Alphesiboei: tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi sive oram Illyrici legis aequoris, accipe iussis carmina coepta tuis*; neque haec oratio ipsa curiosius perspicienti placere potest, etiamsi *mihi accipe* coniungi posse concedas — sed illam imperfectam relinquens, nulla cum obscuritate ut nobis visum est, novam telam orsus alio modo id quod ante dicturus erat effert ita ut politissima arte toti exordio finem imponat: *accipe iussis carmina coepta tuis atque hanc sine tempora circum inter victrices hederam tibi serpere laurus.* Quod scribit *carmina* poetarum more utitur; nam non plus quam hoc carmen dicit eamque vult hederam esse quae triumphatori inter victrices laurus serpat. Sed quod *iussis* Pollionis *carmina coepta* appellat, plerique ita interpretantur, ut Vergilium Pollione auctore ad poesin bucolicam accessisse aut certe hoc bucolicum carmen eo iubente composuisse sumant. Quorum neutrum stabilibus rationibus firmatur. Illud quidem Servius narrat in vita Vergilii his verbis: *proposuit ei Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio scripsisse et emendasse**). Sed Vergilium ipsum si consulimus, is in Pollione numquam sine excusatione huius agrestis musae mentionem facit; qui eclogam quartam Pollioni inscriptam sic incipit

Sicelides musae, paullo maiora canamus.
non omnes arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae;

idem in tertia (84) *Pollio* inquit *amat nostram quamvis est rustica musam.* Neque a nostri carminis prooemio excusationem abesse sentiat oportet qui animo non-

---

*) Melius Donatus in vita narrat *mox cum res Romanas inchoasset offensus materia ad bucolica transiit maxime ut Asinium Pollionem, Alphenum Varum et Cornelium Gallum celebraret, quia in distributione agrorum .. indemnem se praestitissent*; vel Probus item in vita *postea restitutus beneficio Alpheni Vari, Asinii Pollionis et Cornelii Galli, quibus in bucolicis adulatur.* Quamquam nec hi nec ille quidquam de his rebus cognitum habuerunt, nisi quod ex ipsis carminibus colligere licuit.

dum occupato recognoscit. Cuius excusationis quam causam fuisse dicas, si aut hoc carmen aut bucolicum genus omne ad Pollionis iussum rediit. Itaque aliter interpretamur, Pollionem optasse illum quidem vel exspectasse, poetam amicum in rebus secundis sibi non defuturum, Vergilium autem altioris stili carmen detrectantem cum bucolicum mitteret id his versibus excusavisse, ut simul insigni laude Pollionem impertiret. Nam sic quoque carmina coepta (h. e. composita) iussis Pollionis appellare potuit, et pars quidem excusationis in eo inest ipso, quod non iniussus cecinit. Hoc interpretandi modo nobis hoc assecuti videmur, ut totius prooemii fila quo tenderent dispiceremus, atque admirabamur artem poetae, qui dum errare videtur omnia certissimo consilio devinxit. Simili artificio mixtae cum laude recusationis, in quo genere Horatii venustas nitet, eclogae sextae exordium in honorem Vari compositae probatur.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.
cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit 'pastorem, Tityre, pingues
pascere oportet oves, deductum dicere carmen.'
nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor arundine musam.
non iniussa cano. siquis tamen haec quoque, siquis
captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae,
te nemus omne canet, nec Phoebo gratior ulla est
quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.

Quae versu nono dicit *non iniussa cano* vulgo ad Phoebi iussum revocantur, sed tenor sententiarum ea non patitur nisi ad Varum referri*): cui iubenti vel cupienti in suam laudem aliquid componere poetam (cf. ecl. 9, 26) Vergilius ita obsecundavit ut caneret non quod ipse voluit aut ille optavit sed quod potuit bucolicum carmen, quod tamen et ipsum, ne ingratum veniat amico, numquam Vari honore cariturum auguratur. Cui carmini cum poeta ipse testificetur Vari nomen praescriptum fuisse, idem ut in ecloga octava factum putemus, prooemio ipso admonemur, quo Pollionem quidem certis indiciis significari vidimus, nomen eius qui appelletur positum non est: cuius rei insolentia elevatur aut explicatur si ut illud Varo ita hoc Pollioni inscriptum carmen fuisse animo informamus; itaque cum olim Heynius tum postremo Leutschius iudicavit in philologo vol. 22 p. 220, plerisque aut tacentibus aut incogitanter renuentibus. Nos addimus exemplum non a poeta sed ex M. Varronis quinto de lingua Latina petitum, qui initio huius libri haec

---

*) Non fugit hoc Kolsterum (p. 109) sed idem per ambages exspatiatus in devia aberravit.

scribit *Quemadmodum vocabula essent imposita rebus in lingua Latina sex libris exponere institui. de his tris ante hunc feci, quos Septumio misi, in quibus est de disciplina quam vocant* ἐτυμολογικήν, *quae contra eam dicerentur, volumine primo, quae pro ea, secundo, quae de ea, tertio; in his ad te scribam, a quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina*; nam quod Varro nec hoc nec ullo loco (cf. 6, 97 et 7, 109. 110 M.) eum quem alloquitur appellavit nomine, attendere legentes voluit et huic libro et reliquis inscribi, id quod cum fide codicis Florentini tum grammaticorum testimoniis constat, *M. Terenti Varronis de lingua Latina ad Ciceronem liber quintus* et deinceps.

Ab exordio, quod continuum et unum esse neque rationibus metricis in particulas licere dissecari credimus, secreta sunt pastorum carmina quae se Vergilius relaturum promisit. Quorum prius, Damonis, his versibus inducitur.

Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
15 cum ros in tenera pecori gratissimus herba,
incumbens tereti Damon sic coepit olivae*).

his vero alterum.

62 Haec Damon: vos quae responderit Alphesiboeus
dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

Praeterea nihil dicitur de certamine pastorum aut de iudicio certaminis, ne de loco quidem quicquam ubi congressos contendisse Vergilius voluerit, qui hoc unum agit, ut pastores, quorum musam magna laude praedicavit, suum uterque carmen canant. Carmina ipsa, quamquam nec tota nec partibus suis pari modulo exaequata, quadam communione inter se nectuntur; amatoria sunt: perfidia accusatur in altero amicae ab amatore, coniugis ab amica in altero; successus contrarii: haec recipit quem ereptum dolebat coniugem, ille a se amatam alteri datam uxorem lamentatus perit. Et in arte poemata sibi respondent: Alphesiboeus nihil ipse narrans pharmaceutriam, cuius ne nomen quidem proditur, a primo statim carmine dicentem et agentem facit.

64 Effer aquam et molli cinge haec altaria vitta
verbenasque adole pingues et mascula tura,
coniugis ut magicis sanos avertere sacris
67 experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.

Sic illa compellat ancillam, qua comitante et adiuvante varia incantamentorum genera pertemptat. Non secus in Damonis cantu: nihil nuntians ante pastorem

---

*) *Da droben auf jenem Berge*
*Da steh' ich tausendmal*
*An meinem Stabe gebogen*
*Und schaue hinab in das Thal.*

Ita Goethii opilio lamentari incipit. In Vergilii versu taedet referre quid ingeniosi interpretes comminiscendo effecerint.

nescio quem (nam pastorem esse multis signis indicatur, nomen reticetur) indignum quo intereat amorem primo mane dis narrantem inducit.

17 Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum,
coniugis indigno Nisae deceptus amore
dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
20 profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.

Prave enim interpretes Damonem ipse quid passus sit et quid facturus canere censent; qui specie induci videntur quia quo tempore Damon cecinisse dicitur, *Frigida vix caelo noctis decesserat umbra* (14), ab eodem carmen ipsum initium capit, *Nascere praeque diem veniens age, Lucifer, almum* (17), cum praesertim nullo verbo dicatur canentem esse alium, alium lamentantem. At de tempore, poterat utrumque seorsum constare, ut et infelix iste advenienti Lucifero dolores suos decantaret, sicut miseri solent orientem solem miseriarum testem advocare, et duo pastores, qui una canunt, prima luce, quo tempore pecus pastum agunt, canendo certarent. Neque in hoc carmine magis quam in altero hoc oportebat indicari non canentem loqui sed alium ab eo loquentem induci. Contra Damonem si suas res agere cantu statuimus, nec carmen ipsum, quod extremam infelicis amatoris cantilenam refert qui moriendi certus (v. 20) exhausta lamentatione se de specula montis in fluvium deiicere velle (v. 59) profitetur, huic pastori satis aptum videtur quo is ut saepe suam canendi virtutem praestet, et aequabilitas inter duo carmina, quam Vergilium voluisse intelligimus, misere claudicare incipit. Itaque versus quibus Damon coepisse dicitur (14—16) *Frigida vix caelo* ab initio carminis *Nascere praeque diem* (17—20) separabimus neque sequemur interpretes qui ab eo errore, quo hos versus eadem temporis notatione cohaerere existimarunt, in explicandis singulis incredibilia commenti sunt.

Utrumque carmen certa habet vestigia imitationis Theocriteae; et Alphesiboei quidem cantus ex pharmaceutria Theocriti (2) materiam duxit, unde plus etiam quam vulgo credunt sumpsisse Vergilium infra probare conabimur, verum tamen poeta Romanus ita usus est exemplo Graeco non ut in artum se dederit sed pede libero incedat et poema suum ad alium finem deducat. Variis Theocriti idylliis mixtum est carmen alterum, in quo et caprarium Amaryllidos (3) et Polyphemum Galateae desiderio ardentes (11), denique Daphnin infelici amore pereuntem (1) agnoscimus; sed Vergilii carmen, quamquam his coloribus Theocriteis distinctum, unum est et totum et argumentum habet a Theocrito plane diversum. Ceterum in his consociatis carminibus quae et bucolica esse et sibi respondere voluit Vergilius cum non solum primum tertium undecimum sed etiam secundum Theocriti idyllium adhibeat, veri simile est eum haec carmina omnia eodem idylliorum libello coniuncta tenuisse; quod quo minus probabile habeamus Servius nos retinere non potest, qui quod scribit in praefatione bucolicorum *sane sciendum septem eclogas esse meras rusticas quas Theocritus decem habet: hic (Vergi-*

*lius*) *in tribus a bucolico carmine sed cum excusatione discessit,* non hoc dicit, quod nonnullis visum est, corpus bucolicum non plus decem idyllia complexum exstitisse eoque Vergilium usum esse, verum illud potius in volumine carminum Theocriteorum ampliore et varii generis, quale hoc est quod nos hodie legimus, non plus quam decem idyllia mere bucolica fuisse; quod verum est, modo ab illo tum exemplari idyllia 20 et 27 abfuisse statuas, quae a Theocrito profecta non esse docti consentiunt. Idque Servium dixisse eo stabilius videri oportet quo magis hoc Vergilianae imitationis indicio confirmatur. Quamobrem obtinemus eam quam in prooemio a. MDCCCLXXV p. 4 defendimus sententiam, neque ab ea nos seduxit Theodori Birti iudicium qui in libro perutili quem fecit de veterum re libraria (p. 394 sq.) in contrariam partem disputat. Illud addimus, ad hanc causam forte relapsi, quod tum nos casu praeteriit, verba Servii M. Hauptium de Calpurnii et Nemesiani carminibus bucolicis agentem (opp. 1, 365) non aliter ac nos esse interpretatum.

Singula enarrare nolumus, quamvis non pauca sint in utroque carmine quae interpretis officium exspectent. Sed nos ad finem commentarioli nostri properantes omissis aliis unum locum qui est in extremo carmine altero breviter disceptabimus: cuius quae est obscuritas, cum vulgo non removeant, multi ne sentiant quidem, Theocriti ope in ea parte neglecti demi posse nobis visa est. Etenim pharmaceutria frustra cum aliis remediis tum postremo exuviis amatoris quas in terra defodit temptatis alias vias ingredi instituit.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto),
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris
atque satas alio vidi traducere messes.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
transque caput iace, nec respexeris. his ego Daphnin
aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
aspice, corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit.
nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?
parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

Hoc ordine se versus excipiunt in libris; a quo qui discedendum esse rati sunt, G. Hermannus (Bionis et Moschi carm. p. 48) compluribus conaminibus propositis, M. Hauptius duce Hermanno versibus 107 et 108 traiectis, veremur ne verum carminis ingenium non probe perspexerint; quorum sententias singillatim exponere

et refellere disputando opus non est, si modo nobis contigerit quod speramus ut poetae sensum nullo versu moto patefaciamus. Principium autem intelligendi verum ex eo repetitur, ut horum versuum natura recte agnoscatur:

95 has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto),
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris
atque satas alio vidi traducere messes.

Quibus versibus cum pharmaceutria vim quidem et potentiam herbarum ac venenorum quae promit exemplis pluribus declaret sed quid ipsa iis usura sit non dicat, apparet sententiam non esse absolutam. Quod si circumspicias num quid sit quo mancam orationem perficere possis, illico occurrunt illa quae dicit

102 his ego Daphnin
aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat,

quae id ipsum quod desideratur quaerenti suppeditant. Itaque sequimur quo manifesta orationis indicia ducunt et has sententias poetam coniungi velle statuimus. HAS *herbas atque* HAEC *Ponto mihi lecta venena ipse dedit Moeris,* HIS *ego saepe lupum fieri Moerin vidi:* HIS*) *ego Daphnin aggrediar.* Quibus quae interposita sunt

101 fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
transque caput iace, nec respexeris

ne quis nostris rationibus repugnare iudicet, auferri iubentur, quae post usum inutilia facta sunt, et auferri iis modis quibus solent quae tamquam *ἀποκαθάρματα* abiici et a nobis separari volumus, velut apud Theocritum (24, 93) Tiresias Alcmenae praecipit

91 *καῖε δὲ τῶδ' ἀγρίαισιν ἐπὶ σχίζαισι δράκοντε*
*νυκτὶ μέσᾳ, ὅκα παῖδα κανεῖν τεὸν ἤθελον αὐτοί.*
*ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις*
*ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα*
95 *ῥωγάδος ἐκ πέτρας ὑπερούριον, ἂψ δὲ νέεσθαι*
*ἄστρεπτος.*

Nam pharmaceutriam nihil amplius efficere velle abiiciendis cineribus, quod vulgo credunt, prodit ipsa cum dicit (103) *nihil ille deos, nil carmina curat.* Quae quid significent initium carminis docet verbis

65 verbenas adole pingues et mascula tura,
coniugis ut magicis sanos avertere sacris
experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt ...
69 carmina vel caelo possunt deducere lunam ...

---

*) De *his* pronomine, quod ab interpretibus refertur ad *cineres,* unus recte sensit Kolsterus (p. 178), nisi quod verum sensum cumulatis vanis paene oppressit.

Quare quod illum deos et carmina curare negat, complectitur omnia quae reducendi coniugis causa adhuc instituit; quae tandem intelligit irrita esse et sine effectu. Itaque cum alia conari cogitet, reliquias eorum quae in ara incendit tollendas et procul amovendas curat. Et hoc quod mandat ancillae, etsi postponi summae sententiae potuit, *has herbas atque haec mihi venena ipse dedit Moeris: his ego Daphnin aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat. fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti iace*, tamen quod medium interiectum est inter duas partes unius sententiae (ut taceamus consuetudinem poetae alibi a nobis declaratam) nec obfuit perspicuitati et hanc moratam orationem inprimis decuit. 'At mi unus scrupulus etiam restat qui me male habet, inquit Chremes Terentianus. Herbas ac venena, quae sibi pharmaceutria Moerin dedisse narrat et quibus se aggredi velle Daphnin profitetur, quoniam veneni vocis usum ambiguum esse constat, quam vim habere dicimus, similemne sed maiorem ceteris remediis quibus reducere coniugem temptavit, an diversam et a reducendo plane alienam? Quae Moeris ipse his venenis effecisse dicitur (97—99) conferentem versus 69 et 70 facile inducant ut priorem istam significationem foveat, sed alteram suadet Theocritus, qui in idyllio secundo, quod huic carmini argumentum dedit, ita scribit

159 *νῦν μὲν τοῖς φίλτροις καταδήσομαι· αἰ δ' ἔτι κἠμέ*
*λυπῇ, τὰν Ἀίδαο πύλαν ναὶ Μοίρας ἀραξεῖ.*
*τοῖά οἱ ἐν κίστᾳ κακὰ φάρμακα φαμὶ φυλάσσειν,*
*Ἀσσυρίω, δέσποινα, παρὰ ξείνοιο μαθοῖσα.*

Quo auctore non iam dubitabimus, utram venenorum naturam Vergilius accipi voluerit; neque obsunt quae pharmaceutria de iis dixit; quibus exemplis iam apparet omnino vim quandam insigniorem iis attribui. Vergilii autem pharmaceutria cum ita dicat *nihil ille deos nil carmina curat*, rationem intelligimus qua, quem carminibus posse reduci desperat, veneno interimere velle animum inducat: quid enim facias illi, qui nec deos nec carmina curat? Quo magis perspicuum fit, cum talia affectet, quid agat quod cineres quibus nihil salutis recuperavit foras ferri ac dissipari iubeat. Nihil videlicet nisi ut locum dent iis quae iam paratura est. Pulchrum autem inventum Vergilii est, in quo is Theocriti vestigia plane deseruit, quod ab his ipsis cineribus subito salutis augurium exire fingit. Sed videamus versus ipsos quibus hoc agitur; qui ab interpretibus relicti aut prave interpretati inprimis digni sunt quos enarrando adiuvare studeas.

105 aspice, corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit.
nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Hos versus quattuor sententia et orationis filum demonstrant non omnes unius esse personae, si quidem illa *aspice, corripuit altaria flammis sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse* non decent nisi Amaryllida, quae modo iussa erat cineres auferre;

qua in re exsequenda quia moratur ut ancilla, factum est ut et aspiceret et stupefacta dominam aspicere iuberet quid subito in cinere accidisset. Certe verba *dum ferre moror* ne artificiis quidem interpretandi, quibus plerumque utuntur, efficere possis ut in pharmaceutriam quadrare videantur, quae, ut in promendis aut seligendis herbis ac venenis occupata erat, non potuit ipsa velle ferre cineres, quos removere ancillam iusserat. Itaque hoc dandum est orationis perspicuitati, neque ita ratiocinandum, poetam qui per totum carmen pharmaceutriam loquentem faciat, non posse semel ancillam respondentem dominae inducere. Nam quid ille fecerit aut potuerit facere, nos non possumus nisi ex iis quae dicit cognoscere; et is quidem, quamquam carminis ratio vetabat loquentem indicari, oratione scite instituta cavit, ne consilium suum attente legentem falleret. Sed ut illa quae dicimus Amaryllidi tribuenda sunt, sic versus quartus haud ambigue pharmaceutriam amore flagrantem refert, *credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* Itaque reliquum est ut diiudicetur, quo modo hi versus quattuor, quoniam non sunt unius personae, dividantur in duas. Quo facto simul illud patefiet num quid turbarum ortum sit in ordine, quod esse diximus qui crederent. Qua in controversia nos ita censemus, non plus quam duo versus priores sed hos totos esse Amaryllidos, quae cum ex cinere, quem auferre iussa erat, dum moratur, sua sponte flammam nascentem aspiceret, id non potuit non ominis loco habere, quod ut bonum et faustum sit causa dominae suis votis precatur ancilla.

aspice, corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit.

Quam excipit pharmaceutria, cui duo versus posteriores adscribimus.

nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Quae quod ita dicit *nescio quid certe est* loquitur, ut Catullus locutus est, qui in carmine octogesimo scribit

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
hiberna fiant candidiora nive ...
nescio quid certe est: an vere fama susurrat ...

significans certe non de nihilo esse id cuius causam indagat*). Iisdem verbis phar-

*) Similia sunt Persii in satira quinta.

non equidem hoc dubites amborum foedere certo
consentire dies et ab uno sidere duci.
nostra vel aequali suspendit tempora Libra
parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.
nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.

maceutria fatetur, ne sibi quidem quod ancilla animadverterit vanum videri aut temere accidisse, cum praesertim huic alterum accedat indicium (*et Hylax in limine latrat*), quod certius adventum coniugis praenuntiet. Quae si ita recte intelliguntur, versus tertius non potuit nisi hoc loco poni: cui si praemittitur quartus, rumpitur ea quam huic cum superioribus esse diximus sententiarum necessitudo. Contra qui quartus est, illi apte subiicitur, *credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt*, qui pharmaceutriam, modo spe sublatam, ut est amoris natura, rursus vacillantem ac de duplicis indicii fide ambigentem probat; illa vero dubitat eo temporis puncto quo evenit quod omen significavit.

parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

Apposite haec omnia poeta ingeniosus instituit et adornavit, cuius artem ubique sed praeclare in extremo carmine eminentem plerique ignorant, qui vero correcto ordine adiuvandam duxerunt, suo arbitratu non leviter depravarunt.

Scr. Berolini m. Novembri a. MDCCCLXXXVII.

---

Sic enim haec scribenda et distinguenda sunt: pluribus propositis quae fieri possint (de Libra, de Geminis, de Iove cum Saturno) denique affirmat *nescio quod certe est astrum, quod me tibi temperat.* Qui interpungunt *nescio quod, certe est* et duas ex una faciunt sententias, orationi si quid sentimus non satisfaciunt, non magis quam versui Vergiliano interpretes.